



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 815. In quo loco peragendus novitiatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Gl. in c. unic. dist. 53. v. in suo. Sylv. v. religio. 5. 9. 5. Unde etiam in iis certum habitum à sede apostolica approbatum habentibus necessarium esse ad valorem novitatus ut is seu probatio à suscepto habitu in eodem per annum peragatur juxta quod statuisse videtur Trid. sess. 25. c. 15. de regular. his verbis: *nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.* teste Pirh. h. t. num. 29. communior habet sententia, quam tenet Gl. in c. super eo h. t. v. in eadem veste. Joan. And. ibid. Host. n. 3. Donat. tom. 2. prax. regul. p. 2. tr. 9. q. 14. num. 1. Sylv. l. c. Azor. p. 1. L. 12. c. 2. q. 9. Sanch. l. c. num. 29. Barbof. in c. 16. h. t. num. 7. in c. 11. h. t. num. 5. ex ea etiam aliquali ratione, quòd novitatus experiri debeat per annum asperitates, inter quas in quibusdam ordinibus una ex præcipuis est constans habitus delatio; tamen inquam id ita sit respectu istarum religionum, probabilius tamen est, loquendo in genere & abstrahendo ab iis earumque statutis, per se & spectatà rei naturà, ad probationem seu novitatum inchoandum & peragendum essentialiter non requiri susceptionem & delationem habitus religiosi, sed utrumque fieri posse in habitu seculari. ut cum Abb. in cit. c. super eo. n. ult. Suar. tom. 3. de relig. l. 5. c. 13. num. 5. Castrop. tr. 16. d. 1. p. 3. c. 12. §. 3. num. 1. Pirh. cit. num. 29. Wiestn. num. 22. eò quòd tempus probationis tunc incipiat, quando quis facta petitione, ut ad eam admittatur, accedente consensu & acceptatione prælati, suscipitur, ut in religione probetur, ad quod per se & suapte naturà non requiritur susceptio habitus, uti hæc patent ex constitutionibus Societatis p. 3. c. 2. §. 6. & Examine c. 1. §. 13. juxta quas ei certus habitus præscriptus non est; & novitatus peragi potest in veste seculari, ut cum Sanch. l. c. c. 4. num. 29. notat Pirh. cit. num. 29. & ut constat, inchoatur à primis exercitiis in quibus novitii per plures septimanas deferunt suas vestes saculares. neque his derogatum per Concilium Trid. ut bene Suar. cit. 13. num. 4. §. 5. cum non intenderit absolute statuere, ut seclusa etiam consuetudine, annus probationis non incipiat ante susceptionem habitus religiosi, sed ad summum voluit, ut ubi talis consuetudo est inchoandi novitatum à susceptione habitus, per annum à tali susceptione computandum, novitatus steterit in probatione. Addit quoque Pirh. quòd, si in religione aliqua habitus novitiorum sic distinctus ab habitu professorum, non pertineat ad substantiam novitatus, ita ut necessarium sit gestare illum ad hoc, ut dicatur in probatione stare; cum id ex nullo jure antiquo probari possit, nec quicquam per Trid. circa hoc innovatum, quippe in quo nulla sit mentio habitus proprii novitiorum. unde & in pluribus ordinibus idem est habitus novitiorum & professorum. vide de hoc Suar. l. c. c. 14. num. 10.

*Quest. 815. In quo loco peragendus novitatus?*

**R**esp. regulariter peragendus in monasterio seu domicilio religionis juxta c. 1. h. t. ita ut extra illud in sæculo valide peragi nequeat; eò quòd novitatus ad eum finem sit institutus, ut novitius religionis asperitatem & modum vivendi experiat, & religio vicissim de ejus moribus cognoscat, quorum neutrum haberi potest si extra religionem versetur in sæculo. Quod ipsum tamen limitandum nisi de legitima supe-

rioris licentia, etiam per potiore anni probationis partem, extra religionem versetur, dum sic censetur adhuc verè esse in probatione, cum in loco, ubi est, sit ex licentia & sub obedientia prælati, quo quodcumque revocante, paratus redire ad monasterium, alioquin nec mitti possit peregrinatum, aut ad serviendum in Xenodochio. quamvis expediat frequenter eum revocare, & intra claustra detinere & ita docent Nav. L. 3. conf. 32. n. 2. & seq. & comment. 2. de regular. n. 7. notab. 2. Azor. p. 1. L. 12. c. 2. q. 8. in fine & c. 1. q. 7. Sanch. L. 3. mor. c. 4. num. 2. idem dicens de monialibus novitiis. Suar. tr. 3. L. 5. c. 14. num. 13. Rodriq. tom. 3. q. 9. regul. 9. 15. a. 10. Mirand. in man. prælat. tom. 1. q. 22. a. 5. Barbof. in c. 16. h. t. num. 8. & de præf. Episc. cit. alleg. 101. num. 28. Pirh. h. t. num. 28.

*Quest. 816. An & qualiter novitii obligentur ad servandas regulas & statuta religionis superiorumque regularium præcepta?*

**R**esp. Quamvis decens sit hæc ab iis observari, non tamen per se directè in conscientia seu sub culpa ad eorum observantiam tenentur. Sylv. v. religio. 5. q. 6. Rodriq. l. c. q. 21. a. ult. Suar. tom. 3. l. 5. c. 16. num. 2. Sanch. de immunit. eccles. c. 9. dub. 3. num. 8. Pirh. h. t. num. 69. Wiestn. num. 40. Cum enim necdum regulam sint professi, nec ullis votis adstricti, non magis tenentur ad regulas & statuta ordinis, quam Catechumeni ad leges Ecclesie, donec per baptismum eam ingressi, & tanquam vera ejus membra recepti. neque etiam ex debito pariformitatis tenentur servare leges & præcepta professis imposita; cum debitum hoc non liget nisi illos, qui in eodem statu & professione sunt, in quo novitii non sunt, sed in probatione illius, dum solum intendunt illum experiri. ut Delb. l. c. quin tamen ad servandam pariformitatem illam teneantur, etsi non sub culpa, ex magna tamen decentia, negari non potest; cum æquissimum sit, ut, qui similem cum aliis vitam suscipiunt, & in perpetuum continuare intendunt, similem quoque sentiant in legibus disciplinam, quique cum professis iidem fruuntur privilegiis, eadem cum iis onera ferant & leges servant; tum etiam, quia alias convenienter à superioribus religionis gubernari, ac ritè in ordine ad professionem institui (ad quod tamen suscipiendo habitum se tacitè obtulisse censentur) vix poterunt. Ad hæc difformitas illa in servanda disciplina non levis causa esset turbatum, scandali & confusionis in monasterio, ad quæ cavenda cum teneantur directè sub culpa, sub eadem indirectè tenebantur ad servandas regulas, & ad non agendum passim iis contrarium. De cætero, licet novitii directè non subjiciantur regulis ac statutis ordinis, subjici tamen eos jurisdictioni spirituali prælatorum regularium non tantum in foro conscientie, sed & externo, quemadmodum clerici saculares Episcopo, ac proinde ab illis ob delictum puniri posse, eisque præcepta dari, etiam sub censuris, quibus obedire tenentur, non in vim voti, sed quia subsunt ejus jurisdictioni; tenent Suar. cit. c. 16. num. 18. Sanch. cit. 10. num. 11. & 12. Laym. L. 4. tr. 5. c. 4. num. 3. Pirh. h. t. cit. num. 69. Et hæc quidem dicta de jurisdictione certa videntur respectu prælatorum regularium emptorum; cum hi jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, etiam novitios, habent. Prælati